

1177

1994
A
1386





DISPUTATIO IURIDICA.

De

CONDICTIONIBVS
EX PROMPTO,

Difficilis magis, quam practicabilis.

QVAM

Deo Trino & Vno Favente.

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Florentissimo Agrippinensis Academiae Iuridicae Facultatis
Auditorio publico examini submittit*

IOANNES NICOLAUS Borst / Aquisgranensis.
Anno 1629. die 3. Iulij.



COLONIAE AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

DISSENTIO MEDICAL

COPIED FROM THE

EX LIBRIS

LIBRARY

OF

THE UNIVERSITY

OF

LEIPZIG

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

21

COPIED FROM THE

EX LIBRIS





DEO TRINO ET VNO ADIVVANTE
DE CONDITIONE INDEBITI.

DISPOSITIO METHODICA.



VM in tertia parte *Digestorum* agatur de contractibus rerum, iuxta *l. 2. §. 4. C. de vet. iur. enucl.* & inde resultantibus conditionibus, inter quas caput effert illa, quæ ex mutuo est, & *disputatione 20.* superius tradita propter connexitatem ad tractatum de iureiurando, utpote æris alieni Emplastro. *Gell. lib. 16. cap. 17.* litium compendio. *l. 2. §. 8. C. de iurei. propt. cal* & Rhadamantina disceptandarum controuersiarum ratione. *Hotoman. ad §. fin. Inst. de Fideicom.* traxit; nunc iusto ordine persequitur compilator operis alias ex promutuo, quod ex euentu mutui loco est, & perinde ex re obligationem producit, secundum *Cuiac. in parat. C. de cond. indeb.* conditionum species.

CONCLUSIO PRIMA.

CONDICERE idem quod denunciare est, quia olim antequam reus in ius vocaretur, necesse erat, ut prius ei dies constitueretur, quo se iudicio sisteret, & si se non sisteret dicto die, tum in ius vocabatur; sed hodie illa denunciatio cum impetrationibus actionum iuris veteris est sublata. *et. C. de formul. & impetr. act. sublat.* Ex eo tamen more nomen conditionis nobis remansit, & omnis actio personalis conditio vocatur, vel certi, quando quantitas vel species petitur. *l. 9. in pr. ff. si cert. pet.* vel incerti, quando vel obligatio facti est, aut quantitas stipulationis in incerto est. *§. fin. Inst. de V. O. Paul. Christin, in decis. Cur. Belgic. vol. 3. tit. 5. n. 1.* Hæc certi & incerti conditio ex quocunque contractu propriam actionem non habente, vel habente licet nascatur, vnica nihilominus eaq; generalis est, vsq; adeo, quod conditio, quæ ex indebito est, si indebitum. Certum est, eadem competat, quæ ex mutuo est. *Gædd. in tract. de contrah. & committ. stip. c. 11. conclus. 2. n. 18.*

2. Huius condictionis Indebiti generaliter ita acceptæ non species, sed causas plures enumerat *Ictus. in l. 65. ff. h. t.* scilicet pro qualitate causæ, aut rei subiectæ, quippe, quæ si erronea fuerit, datur conditio indebiti, si deficiat conditio ob causam datorum, si turpis, conditio ob turpem causam, si res furto ablata conditio furtiua, si nulla causa fuerit, conditio sine causa. *Vvesenb. in parat. h. t. n. 1. Treutl. disp. 22. th. 1. lit. E.*

3. Cum autem validitati contractuum seu negotiorum præcipue error obstet, *l. 15. ff. de iurisdic.* visum fuit conducibilius ex cæteris condictionum speciebus illam quæ de indebito condicendo κατ' ἄυτονομασίαν inscribitur, ordinem potius *Codicis*, quàm *Digestorum*, secuti præmittere.

4. Definitur vero hæc conditio, quod sit Actio personalis ex contractu tam proprio, quam improprio nata (cur tam diuersimodè, tradit. *Rainald. Cors. lib. 1. Indag. Iur. cap. 31.*) Ciuilis, stricti iuris, qua actor à reo id quod per ignorantiam non debitè solutum est ex equitate reddi sibi oportere contendit. *t. t. ff. & Cod. de cond. indeb. Vves. in parat. ff. h. t. n. 10. Aliter Zas. h. t. n. 2.*

5. Indebiti autem multæ sunt species, quarum variæ à varijs enumerantur, & patet ex *Digestorum & Codicis* titulorum, qui de condictionibus inscribuntur collatione, sed quia natura ita conditum est, ut plura sint negotia quàm vocabula, *l. natura. 4. ff. de præscript. verb.* tot modos constituimus indebiti quot sunt debendi. *Treutl. vol. 1. disp. 22. th. 4.*

6. Indebiti tamen species præcipuè sunt quatuor: scilicet indebitum natura, lege, natura & lege simul, & indebitum exceptione. *Bart. in l. 10. C. de iur. & fact. ignor. Zas. in ff. h. t. n. 4.*

7. Indebitum natura est, id quod naturaliter quidem indebitum, sed lege seu iure ciuili debitum, ut est in debito factò per chyrographum spe futuræ numerationis, quæ à *Bart.* vocatur conditio ex contractu seu ex obligatione literarum, *Myns. ad tit. Inst. de literarum oblig. n. 12.* item ex causa mutui per pactum de non petendo remissi. *Doct. in l. 1. ff. hic. Mynsing. in §. præterea. num. 3. Inst. de exceptionib. Zas. cit. loc. per l. 95. §. 4. ff. de solut. l. fin. ff. de iurei.*

8. Indebitum lege est, quod naturaliter quidem debitum, sed ciuilitè indebitum ut in eo, qui soluit id, quod ex sola naturali obligatione debebat, puta, solo consensu sine approbatione iuris ciuilis, ut in nudo pacto, quando quis soluit id, quod per nudum pactum promiserat, *Schneid. ad d. §. is quoque. num. 2. Quibus modis re contr. obl.* plura exempla habet *Zas. cit. loc. num. 6.*

9. Natura & lege simul indebitum est quando soluitur id quod nullo iure naturali aut ciuili debetur, quia soluens nullo modo erat ei, cui soluit, obligatus, & tunc ex quacunque ignorantia potest repeti *ff. hic. & Dd. ad d. §. is quoque. Id. Zas. cit. loc. n. 5.*

10. Exceptione indebitum est quod scilicet quis naturaliter & ciuilitè simul quidem obligatus soluit, sed quia competit soluenti exceptio consti-
tuit

tuitur in debitum & repeti potest, vt in Sc. Macedoniano *Zaf. cic. loc. n. 6. in fin.* alijsque, de quibus infra positione 29. dicetur.

11. His præmissis innotescit eum qui debitum soluit, quamuis in hoc dare videatur, vt distrahat potius negotium quam contrahat. *S. is. quoq. inst. quibus mod. re contrahitur obligatio. S. item is cui. 6. ibidem Mynsing. n. 4. inst. de oblig. quæ ex quasi. cōtract. nascuntur l. si quis. 5. S. is quoq. 3. ff. de obligationibus & action. quia tamen non debitam pecuniam soluit, eo ipso aliquid contrahit. l. 2. l. si in area 33. ff. hoc tit. Mynsing. ad dictum S. is quoque n. 2. Et accipiens tenebitur & eatenus regulariter est quasi contractus, quia solutio pecuniæ habet vmbra contractus (ein verschwiegener Contract) *Zaf. ibid. n. 3.**

12. Obligatio ista ex reali numeratione proueniens. *Myns. dict. n. 2. accipientem obstringit ad reddendum vel id quod datum est, l. quod indebitum 7. ff. hoc tit. si scilicet species fuerit Gotho. ad dictam l. 7. lit. A. Vel tantundem, si quantitas vel res fungibilis fuerit. dict. l. 7. arg. l. fin. ff. de præscript. verb. dict. S. is cui. & dicto S. is quoque d. l. 5. S. 3. Iason. ad dictam legem. 7. n. 1.*

13. Quia naturali æquitati conueniens est neminem cum alterius detrimento locupletari. *l. 14. nam hoc ff. hoc tit. l. 206. de R. 1. & d. l. hæc condictio 66. Ideò hæc condictio ex eiusdem æquitatis fonte deprompta est. l. in summa 65. S. quod ob rem. & d. l. 66. ff. hoc tit. ibidem Glossa & Iason n. 1. qui dicit hanc æquitatem facere ad casum legis. Imperator 16. ff. de indiem additione Confer Duaren ad c. 1. de condict. indeb. *Zaf. ad l. indeb. ff. h. t. n. 3.**

14. Indebitum itaque definimus quod vel omnino non debetur. *d. l. in summa. S. fin. aut saltem non debetur iure naturali vel gentium text. in l. indebitum 47. ff. hoc tit. VVes. parat. n. 4. ff. hoc tit. Eodem fermè sensu indebitum dicimus quod sub Conditione aut incerta omninò die debetur. l. sub conditione 16. cum duab. sequentib. ibidem Gotho. lit. G. & Iason n. 1. ff. de condict. indebit. *Zaf. in l. ead. sub conditione ff. h. t. n. 3.**

15. Conditionem autem vel diem incertam accipimus, quæ an existitura sit dubium adhuc est, dies enim taliter conditioni comparatur, *l. 57. de condit. & demonst. ibidem Bart. VVesemb. ff. h. t. n. 4. vt si quis promiserit die nuptiarum se daturū decem d. l. dies incert. l. quod seruius 8. ff. de condict. causa data. text. in lege vnica. S. fin. autem Cod. de caducis tollendis.*

16. Et latius extendendo indebitum ad illud etiam quod supra debitum est solutum *l. si is cui. ibidem Iason. h. tit. & quod alij debitum, alij verò solutum fuerit, vel non debitum pro eo quod debetur soluatur l. si pœna 19. S. si putem 3. ff. hoc tit. cui non obstat l. si is cui. 19. ff. de legat. 2. etiamsi iste error in facto proprio consistat Iason ad dictum S. si putem. n. 2. quando scilicet soluens tractat de damno vitando, recipiens verò de lucro captando Iason dict. loco. vide Cuiac. 8. obs. 35.*

17. Item obtinet hæc condictio in eo quod alius debebat, alius autem quasi ipse debens, suo nomine soluerit, dicta *l. in summa S. fin. & dict. l. si pœna 19. S. 1. ibid. Iason. n. 10. ff. hoc t. quod secus esset si alieno nomine solueret vt v. g.*

G. tutorio, hereditario, dict. §. quamvis. 1. ibidem Iason n. 10. vel etiam si Dominus, cum quo de peculio actum est, per imprudentiam plus quam in peculio est, soluerit *l. si is cum. ii. ff. h. tit.* tunc enim conditio indebiti competit, quando debitor principalis non liberatur dict. §. quamvis *l. si quid poss. 31. princip. de petit hered. l. si à patre 5. eod. hoc tit.*

18. Hisce sic indiguitatis restat pro declaratione antedictorum ut præsens conditio locum habeat requiri ut errore auß einem Wahn und Irrthum solutio facta sit *l. 1. ff. h. t. l. cuius 53. ff. de R. I. Schneid. ad dict. §. is quoque n. 12.* error autem cum nullum habeat consensum *l. si per errorem 15. ff. de iurisdict.* Quæritur an error facti an iuris condictioni locum faciat, & ponimus vtrumque. *l. qua except. 40. & l. si fideius. 49. ff. hoc tit.* nec solet error iuris in damno vitando nocere *l. iuris ignorantia. 7. & l. Regula 9. ff. de iuris & facti ignorant.*

19. Cognitis modis præcipuis quibus conditio indebiti competat, videndum de contrarijs, quibus nimirum cesset & primò cessat prædicta conditio si solum indebitum sciens soluerit, *l. 1. ibid. Iason. n. 2. ff. hoc tit. l. indebitum 9. C. eodem. l. quod quis 50. ff. eodem.* scienter enim soluens indebitum donare videtur *l. cuius 53. ff. de R. I. Mynsin. ad dictum §. si quoque n. 3. & 7. inst. quibuscunque modis re contrahitur oblig. Gotho. ad dictum l. 53. lit. R. l. 1. vsque ad deo. ff. de iniurijs.* etiam si eo animo dederit soluens ut repeteret. *l. quod quis. ff. hoc tit. l. si repetend. Cod. de cond. caus. data. VVes. parat. ff. hic n. 9.*

20. Deinde qui per sententiam malè condemnatus soluit quod non debebat, si sententia transuerit in rem iudicatam, non repetit *l. 1. C. h. t. sententia enim facit ut indebitum fiat debitum nec condici possit l. si fideius. 29. §. in omnibus 5. ff. l. maudati.* idque propter auctoritatem rei iudicatz *l. Iulianus. 60. & l. Iudex 18. ff. hoc tit. ibidem Gotho. lit. G. Iason. in d. l. si Iudex n. 1. Bart. in d. l. princ. C. d. t. d. t.* quia res iudicata pro veritate habetur *l. 207. ff. de R. I. & facit Ens de non Ente, seu apparere id, quod non est. l. ingenuum 25. ff. de statu homin.*

21. Tertio etiam condici prohibetur id quod pietatis causa solutum est, ut si quis dotis nomine quid pro puella nuptui tradenda soluerit *l. cum is. 32. §. mulier 2. ff. h. t.* ad quam scilicet dans se obligatum credebat, *d. vlt. §. mulier. VVesemb. parat. ff. hic n. 7.* sublata enim falsa opinione relinquatur pietatis causa, ex qua solutum repeti nequit, dict. §. mulier. *ibidem Gothof ad dict leg. 4. lit. K.*

22. Quarto repetitionem nescit, quod in causa inficiando crescente solutum fuerit *l. 4. C. h. t. Paulus lib. 1. sententiarum cap. 19. §. fin. Mynsing. ad d. t. §. is quoque, n. 7.* licet enim taliter solutum rei veritate inspecta indebitum sit, tamen per inficiationem poenæ loco debetur, & ideo non repetitur Gothof. *ad d. l. 4. lit. K.*

23. Quinto repetitionem non agnoscit solutum ex causa transactionis, licet res nulla media fuerit *l. in summa 65. §. ff. h. t. Mynsing. dict. n. 7.* taliter enim

num

nim datum intelligitur datum ob causam veram, vt scilicet à lite discedatur
d. §. 1. si tamen euidentis calumnia subfuerit, ea detecta merito repetitio nasce-
tur dict. §. 1. l. 1. C. de transact. quamuis tamen id si tacita calumnia intercesse-
rit obtentum difficiliter fuerit l. sub pretextu 19. C. de transact.

24. Sic quoque repetitionem refugit ob iusiurandum solutum, §. item si
quis Inst. de action. l. ait prator. 3. §. 1. & l. num postea 9. princip. & §. 1. ff. de iure-
iurand. Mynsing. dicto num. 7. nam cum semel iuratum est tueri oportet reli-
ionem iurisiurandi ne ad contemptum Diuini Numinis perperam retracte-
tur Gail. 1. obser. 22. n. 1. & 2. & lib. 2. obs. 39. n. 14. & obser. 41. n. 8. & Cicer. 1. lib.
Officiorum ait, nullum vinculum ad astringendam fidem iureiurando maio-
res arctius esse voluerunt Mynsing. ad dict. §. item si quis postulante. n. 13. Gail.
d. obs. 41. num. 14.

25. Septimò quoque repetitio non admittitur, si sit ab alio debitum li-
cet ratione soluentis indebitum, modo is nomina debitoris soluerit l. repeti-
tio 44. hoc tit. quia repetitio nulla est, ab eo qui suum recipit d. l. 44. Ex pure §.
§. si eum §. ff. de doli mali & metus excep. Myns. ad dictum §. is quoque in fin.

26. Interdum tamen persona locum facit repetitioni vt puta si pupillus
vel furiosus vel is cui bonis interdictum est, pecuniam mutua dederit,
non facit nummos accipientis. §. nunc admonendi. fin. Inst. quib. alienare licet
vel non. Ibid. Myns. n. 1. ideoque vindicari nummi possunt. dicto §. nunc. quia
tam diu manet pupillus nummorum Dominus, Myns. n. 3. si vero nummi
consumpti fuerint condicuntur. d. §. nunc. cum re amplius non exstante, pu-
pillus desinat esse dominus. Mynsing. d. n. 3.

27. Idem quoque erit si quæ talium personarum soluerit sine tutoris vel
curatoris autoritate, l. interdum. 26. ff. hoc tit. Iason ibid. post princip. si scil.
utilius sit pupillo aut alijs eiusmodi personis condici pecuniam, quam so-
lutionem ratificari, quia solutum est naturaliter debitum, VVesenb. hic pa-
rat ff. num. 8.

28. An autem condictio per restitutionem in integrum vel aliàs absolutè
intentari possit, ancipiti Marte inter Bart. vltromont. & citramontanos. Iaso-
nemq; in d. l. interdum; est colluctatio, nos contra Bartol. & Vltromont.
Placent. citramont. & Iasoni sine restitutione illam scilicet intentandam,
subscribimus.

29. Tandem repetitioni locum facit exceptio perpetua & fauorabilis, vt
est S. C. Velleiani, data mulieri, pro alio intercedente. l. si non sortem. 16. §.
indebit. 3. & 4. qui exceptionem. 40. ff. hoc tit. quæ scil. nascitur cum ipso con-
tractu, d. l. qui exceptionem. Secus autem si non competeret nisi opposita ab
homine, vt est in exceptione compensationis, l. qui inuicem. 30. ff. h. t. Iason
in d. l. qui exceptionem. n. 2. Bart. in d. l. qui inuicem. Bald. & Imol. in l. si pater
ignorans. 41. ff. soluto matrimonio.

30. Quid si fuerit odiosa exceptio, vt S. C. Macedoniani condictio soluti
non dabitur. d. l. qui exceptionem. ibid. Iason post princip. quia in odium foe-
nera-

nera-

neratorum principaliter est introducta non ut iuaret filios familias, *l. 1. & passim. ff. ad S. Ctm. Macedon.* licet enim filius familias mutuum accipiendo, obligetur naturaliter & ciuilitur. *Schneid. ad d. S. is quoque. n. 7.* tamē ex dispositione iuris habet hanc perpetuam cōtra creditorem exceptionem, qua se tueri potest. sin vero soluerit lapsus errore iuris, non repetet, *dict. l. qua exceptionem. 40. ff. h. t.*

31. Idem iuris statuimus in exceptionibus ob rigorem iuris conseruandū introductis, Diui Adriani, quando plures fideiussores vnus debitoris qui omnes sunt soluendo quilibet tenetur pro sua parte, etsi vnus in solidū conuentus habet exceptionem episto lae diui Adriani, si tamen soluerit indebitum illud ope exceptionis condicere à creditore non poterit. *Bart. & Dd. in l. 1. ff. hic. Schneid. ad dictum S. is quoque. n. 8.*

32. In summa condictio indebiti competit, quotiescunq; non obstat iusta causa retinendi, vt dict. exceptio pacti, vel iurisiurandi. *l. 34 ff. hoc tit. cum hęc conditiones sola naturali æquitate nitantur. dict. l. 1. §. 1. & l. 66. ff. h. t. Treut. vol. 1. disp. 22. th. 4 lit. H.* vt ita ea omnibus communis quæ vel iure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione condictioni locus erit. *l. ex his. ff. hoc tit. Treut. d. l. supra.*

33. Vnde in quæstionē venit, an legata in testamento minus solenni relicta debeantur legatarijs naturaliter, & quamuis ista passim per glossas & Dd. in *l. 1. ff. hoc tit.* indebitum vocetur, affirmatiuam sustinere placuit in *l. cum 21. §. 1. ff. de inoffic. testam. l. 1. l. si is qui, 24. l. si non sortem. 26. §. 3 & 8.* & textus in *l. fideicom. ff. h. tit. Bart. in l. cum quis. 10. n. 1. & 2. Cod. de iuris & facti ignorantia. Iason. in effectu. in dict. l. fideicom. 62. ff. hoc tit.*

34. Iisdem freti principijs ei condictionem negamus, qui soluit id quod per *L. Falcidiā* poterat defalcare per *l. 1. C. ad L. Falcid.* vbi dicitur eum qui soluit quod per *L. Falcidiam* retinere potuisset, non videri plus debito soluisse, ibidem *Bart.* solutione eius quod per *Falcidiam* tenere licuisset, non donari sed iussum impleri, idem *Bart. in l. cum quis 10. Cod. de iur. & facti ignorant.*

35. Illud tandem notandum his solis pecuniam indebitam condici, quibus quoquo modo solutum est. *l. his solis 49 ff. h. t. arg. l. vbi autē 75 §. fin. ff. de verb. oblig. non autem ab ijs quibus profuit l. repetitio 44 ff. h. t. l. non aduersus 15. C. si certum petatur.* cum ijs enim solis quibus solutum est, quasi contractum intelligitur ideoque tantum contra eos datur actio velut ex mutuo, *d. §. item is cui. Inst. de obligat. qua ex quasi contract. nasc. & dict. §. is quoque inst. quib. mod. re. contrahitur obligatio.*

36. Et condictio hæc intentari debet omni competenti loco, licet soluēs certo se loco deberi existimauerit. *l. qui loco 7. ff. h. t.* nam existimationem soluentis non sequitur eadem repetitionis species *d. l. qui loco,* & quoniam rei persecutoria est, transit in hæredes *l. si fundi 12. ff. hoc tit. l. 1. C. eodē. V. Ves. paratit. in fin. ff. h. t. Iason & Doctor. ad d. l. si fundi.*

37. Hæc

37. Hæc de condictione indebiti sufficient, sequitur sequens conditio, quæ etiam, quasi ex mutuo oritur. *l. si quis. §. is quoque. 3. ff. de oblig. & act. d. §. is quoque. inst. d. t. &* vocatur aliàs ob causam datorum. *Rubr. ff. & C. de condict. caus. dati. l. 1. §. 1. & sequenti ff. eodem. VVesemb. paratit. principio ff. hoc tit. videlicet cum aliquid datum est ob rem, si ea honesta hæc dabitur conditio, tot. tit. ff. & Cod. de condictione ob causam dator. Iason in Rubrica. ff. h. t. n. 2.*

38. Hæc conditio itidem est Actio personalis. *l. dedi tibi 3. §. 1. ff. hoc tit. Treut. d. disp. d. thesi 1. lit. E. §. appellamus. 15. inst. de actio. Gothof. ad l. his solis 49. ff. de condict. indebit.*

39. Competit hæc conditio ob causam dati causa non secuta *l. 1. ff. hoc tit. veluti si pecunia data fuerit vt filius emanciparetur, vel seruis manumitteretur vel vt à lite discedatur, vel aliud quid factum fuerit, quod si secutum fuerit conditio cessat. d. l. 1. ff. h. t. VVesemb. paratit. princ. ff. h. t.*

40. Et non duntaxat ex proprio sed etiam improprio contractu competit *l. si quis 2. de cond. ind. l. creditoris 8. C. eodem l. si extran §. fin. ff. h. t. textus quoque in l. in commodatum 17. §. fin. ff. commodati Treut. d. disp. 22. th. 1. lit. A.* Et quamuis conditio hæc in se considerata in alium contractum non transeat, neque in sua natura obligationem pariat, tamen quia res subest *Συμβαλλόμενα*, ex hoc negotio nascitur ciuilis obligatio *l. iuris gentium 7. ff. de pactis. VVesemb. paratit. ff. hoc tit.*

41. Datum autem aliquid esse oportet, vel quasi datum *l. 4. & 10. ff. hoc tit. ex contractu innominato l. si tibi 7. ff. de prescript. verb. Treut. d. disp. 22. th. 1. lit. F.* antequam conditio sortiatur effectum. *l. 1. de cond. ob turp. caus.* ne scilicet accipiens contra naturalem æquitatem re dantis locupletetur. *l. Nam hoc 14. ff. de cond. indeb. l. 206. ff. de reg. iur. VVesemb. parat. ff. hoc tit. n. 2.* Cæterum si ea causa secuta fuerit non condicitur *l. 1. ff. h. t. nisi ea causa turpis fuerit l. idem 4. ff. ob turpem caus.*

42. Conditione causa dati causa non secuta non modo repetitur res ipsa, sed etiam omnis fructus & naturalis accessio *l. qui se debere 7. §. fin. ff. hoc tit. l. cum quis 12. ff. eodem.* licet enim conditiones recontrahantur & stricti iuris sint, *dict. §. is quoque Inst. Quibus modis re contrahitur obligatio.* quia tamen æquitate constant, condici potest omne id, in quo recipiens factus est locupletior *d. §. fin. & d. l. cum quis.*

43. Huc quoque referimus id quod de datis dicitur vtilitatis gratia & ex benigna legis interpretatione in cautione receptum est, quo casu liberatio condicitur *l. si cum 4. C. h. t.* item in acceptilatione quo casu pecunia si debitum purum sit. *l. si mulier 10. ff. h. t.* vel obligatio si debeatur in diem *glos. & Bart. in dict. l. 4. & 10. ff.* quia nihil interest vtrum in numeratione pecunia ad alterum sine causa an per acceptilationem liberatio peruenerit. *dict. l. si mul. er.*

44. Condiciamus autem vel ob culpam debitoris, *l. quod Seruius 8. l. penult. & vltim. ff. h. t.* res secuta non sit dictis legibus: vnde colligitur datum ob

B

cau-

causam tunc repeti quando accipiens eam non impleuit, vel quia noluit, vel quia non potuit. *l. in summa 65. §. sed agere 3. vers. idem et si ff. de cond. indebiti* & sic non interfit an ex Voluntate dantis vel accipientis causæ non existentia dependeat *dict. §. sed agere Treut. dict. thes. lit. E. vers. illud non interest.*

46. Vel cum re integra siue ab initio siue ex post facto redintegrata *l. si pecuniam 5. §. idem, 2. ff. condict. caus. dat. caus. non secut.* creditor ob poenitentiam rem sequi nolit *d. l. si pecuniam. 5. idem Iason. ad d. l. si pecuniam princip.* modo poenitens debitori denunciauerit *d. l. si pecuniam §. 1.* quia aduersarius de poenitentia vt facto alieno certiorandus est. *d. l. si pecun. Iason. ibidem in §. 1. n. 11.* ne aliàs damnum incurrat.

46. Quo casu utroque etiam debitoris est periculum quia creditor semper condicit siue mora commissã sit, siue non sit, si sit commissã mora condicet ex capite causæ non secutæ, si non sit commissã ex capite poenitentia *l. si pecuniam §. fin. ff. h. t. l. naturalis 5. §. 1. ff. praescript. verbis: nisi aliud Pactum de non repetenda data pecunia interpositum sit l. si alienum 13. in fin. ff. de mortis caus. donat. Treut. d. disp. 2. thes. 2. lit. D.*

47. Ex eodem principio deducitur quod si contractus stipulatione, iuramento vel transactione firmatus, seu vestitus fuerit, non ex capite poenitentia, sed cessionis agi possit *d. l. si pecuniam §. 1. Treut. d. thes. lit. B.* quia cum Poenitentia locum habeat re integra, *d. §. 1.* iuramentum autem facit rem non esse amplius integram, & impediatur purgationem moræ, *Iason ad d. l. si pecuniam. n. 24. & 25.* sequitur merito neminem isto casu agere ex capite poenitentia posse dictis iuribus.

48. Hinc colligitur nullam ei fieri iniuriam, à quo res data repetitur, quæ apud eum est sine causa, & nullum ob eius repetitionem damnum patiatur *Vvesemb paratit. ff. h. t. n. 4.* quod si accipiens aliquid de facto attentauerit, non modo facto impleto sed etiam affecto seu inchoato, quia res definit esse integra, neque sine damno accipientis poenitere licet inhibenda erit repetitio *l. si pecuniam §. 1* & licet aliàs impensæ ad implementum causæ suppositæ adhibitæ, poenitentia viam non ocludant *d. l. si pecuniam §. ibidem Gothof. tamen indemnitas ratio habenda est. d. l. si pecuniam in fin. princ. Vves. paratit. ff. h. t. in fin.*

49. Hæc igitur de conditione dati ob rem honestam dicta sufficiant, sequitur conditio ob turpem causam *l. 1. §. fin. ff. h. t.* turpis autem causa dicitur vel natura, vel lege, *l. probrum 42. ff. de verb. signif.* & hic rursus vel iure tales sunt, vel opinione hominum, *Goddeus ad d. l. probrum n. 9.* in turpi conuentione aut promissum tantum aut datum est, priori modo, si turpitudine sit notoria actio denegatur *l. Mercalem 5. C. de cond. ob turp. l. generaliter 26. cum lege sequenti ff. de verb. obligat.* quia conuentiono nulla est *d. l. Iason. in effect. in Rubr. ff. h. t.* posteriori modo actio quidem conceditur, sed doli exceptione elidenda *l. 1. ff. hoc lit. L. 1. C. eodem.*

50. Inde elicitur eum qui ob turpem causam præteritam quam & præsciuit

sciuit, soluerit, soluti repetitione non gaudere *Iason in dict. Rubr. principio.* cum donare videatur *d. l. cuius 53. ff. de R. 1. & datio sequens purgat vitium præcedens, vt text. in l. cum te 2. C. de his quod metus causa. Barr. in d. l. cum te* secus tamen si turpem causam præteritam nesciuerit.

51. Si ob turpem causam datum fuerit aut dantis est turpitudine tantum, aut accipientis tantum, aut vtriusque simul, dantis solius turpitudine quando adest, repetitio cessat. *idem si 4. §. sed quod 3. ff. h. t.* quia conditio hæc suã turpitudinem alleganti non conceditur *d. l. mercalem 5. C. eodem.*

52. Sic si quis Meretrici quid dederit ob actum venereum non vtriusque, sed dantis solummodo turpitudine adest, *d. l. idem 4. §. si aliquid Meretric. 3. ff. hoc t.* Nam etsi Meretrix turpiter faciat quod sit meretrix, tamen cum sit non facit turpiter accipiendo vt meretrix, *d. §. sed quod meretrici 3. l. qua adulterium 27. in fin. C. ad L. Iul. de adult.* Vnde verius est donationem esse *l. affectionis 5. ff. de donationib.* & ob id repeti non posse *d. §. quod meretrici VVes. parat. ff. eodem n. 3.* & meretrices de huiusmodi quæstu licitè testari possunt, vt olim Flora meretrix testata reperitur *Gothof. ad d. §. sed quod meretrici.*

53. Accipientis turpitudine si tantum adfuerit, etiamsi res ob quem datum est secuta fuerit, tamen repeti potest, *l. 1. §. fin. & l. 2. ff. h. t. l. quoties. 4. C. eod.* vt si dederò furi, vt rem furto mihi ablatam restituat. *l. ob restituenda. C. eod.* vel ne sacrilegium faciat. *l. vtputa. 2. ff. hoc tit.* vel depositum reddat. *dict. l. vtputa. §. 1. l. fin. ff. depositi. l. si tutor. 5. ff. de tutelis & rationib. distrabendi.* vel si ob stuprum datum sit. *d. l. idem. 4. ff. h. t.* & in hoc pendet differentia huius conditionis à præcedente, vbi causa secuta conditio cessat, *VVesenb. parat. ff. h. tit. num. 3.*

54. Ex eodem quoque principio repetitioni subiacet; id quod Iudici, vt secundum me pronunciaret dederò, *d. l. vtputa. 2. §. fin. ff. h. t.* qui quod gratis & virtutis officijq; amore, & Iustitiæ legumq; reuerentia adductus præstare debuerit scelerato pretio nundinatur, *arg. l. fin. ff. h. t. gloss. in d. l. idem. 4. §. si tibi. 4. ff. h. t.* meritò quod actum est, repeti poterit. *l. 1. & 2. ff. h. t. l. 3. & 4. penult. & fin. C. eod.* cum nemo in sua turpitudine aut iniustitia lucrum facere aut sperare debeat. *l. miles. §. 1. ff. ad Leg. Iul. de adult.*

55. Idem extenditur ad eum qui in bona causa aliquid iudici dedit, quia etiamsi turpiter dare non videatur, tamen quoniam dat ob id quod ius fasq; est consequendum & ne venum præstent sententiæ, & ad corruptelam Iudicum animi malo munerum exemplo assuefiant, & dans, quantum in se est iudicem corrumpere intendit, Ideo ab Imp. Antonino constitutum est, vt littem perdat, qui differentia iustæ sententiæ in pecuniæ corruptela, spem negotij reposuerit, *l. 1. cum Authen. qui malè. dict. l. 2. §. fin. ff. h. tit. Iason in dict. l. 1. num. 3.*

56. Sin autem Iudici in hoc solum dederit pecuniam vt causam expediat causam quidem, ob supra dictas rationes perdit, pecuniam tamen datam repetere non poterit. *Iason. in d. l. 1. n. 3.* hinc dubitatur, quid si tantum pro-

miserit indemnitate, idem adhuc erit statuendum, cum tendant ad eundem finem & effectum scilicet corruptelam iudicis, *Iason d.l. n. 4.* idem etiam ad testem pecuniam ab aliquo in bona causa, ut secundum veritatem testificetur, quia talis testis dicitur corruptus, & falsarius, & perinde punitur ac si falsum dixisset, dictis iuribus & *Iason. d. loc. n. 5. arg. cap. sic non sunt. 32. q. 4.* si tamen contra producentem producat ei, creditur, *Bald. in cap. 1. si de investitura inter dominum & vasallum lis creat.* per illum textum versu, premio, & per *l. fin. ff. de testib.*

57. Si quis tamen aduersario principali pecuniam dederit ut à lite desisteret non repetet, *l. fratres. 10. C. de transact. Bart. in d. l. n. 2. C. de poena iudic. qui male iudic.* si vero dederit ut patiatu contra se sententia ferri non repetet ob delictum *dict. l. 1.* ibidem vel iudici vel aduersario, qui, &c. cum & datio illa incorruptelam negotij tendat, *d. l. 1. Bart. dict. n. 2.* huiusmodi enim collusiones, quæ in interuentionem & perniciem amplissimi ordinis tendunt, sine poena esse non debent. *l. 1. de collusione detegenda ff. l. 1. & 2. C. eodem. Azo in sum. sua. C. ad d. tit.* cum ad stabiliendum iudicium contradictor iustus requiratur, *l. 1. Cod. de ingen. manumiss. l. 4. ff. si ingen. manumiss. l. cum non. 3. ff. de collus. delegend. l. fin. Cod. de edict. Diui Hadrian tollend.*

58. Hinc subdubitatur an taliter dans pecuniam amittat causam ipso iure, an verò per sententiam, & ipso iure illum causam perdere statuimus, *Gloss. in d. l. 1. & textus in l. venales. Cod. quando prouoc. non est necessum.* Nam licet sententia ex huiusmodi corruptela fabricata postea feratur, illa tamen nulla est, *dict. l. Venales. Bart. in dict. l. 1. num. 4.* si tamen ambitio vel error subfuerit, sententia obtinebit, *l. seruo. 65. S. cum prator. 2. ff. ad senatusconsult. Trebellian. & appellatione opus erit, l. à sententia. 4. S. 1. ff. de appellationib.*

59. Iisdem causis annumeratur datum ob prauitatem vsurariam, & sic ex causa de præterito turpi solutum repeti poterit. *text. in cap. debitores. 6. X. de iureiur. Bart. in l. si non sortem. S. 1. per illum textum. ff. de cond. indebit.* si verò solutum fuerit ex liberalitate aut donatione, etiam si per prauitatem prouocata cessat, *Gloss. in cap. pactum. 6. vers. restituitur de iureiur. in 6. quamuis. Bald. in l. ab Anast. fin. de mandatis Cod. dicat remissionem vsurariam foeneratori factam ex causa donationis præsumi coloratam, & non animo mero liberali factam, sed ut habeat gratiosorem extensionem. Paul. de Cast. in l. rogasti 11. S. si tibi. 1. circa finem. ff. si certum petatur. Iason. in dict. rubric. num. 2. ff. h. tit.*

60. Et quamuis quandoque accidat ut duæ causæ circa vnum datum concurrant, vna scilicet permissiua, altera prohibitiua, in conditione prohibitiua attenditur, *per l. tutor. 3. princ. ibid. Gothofr. in lit. B & notat Bald. ff. de suspectis tutoribus. Bart. & Dd. in l. si Ruffinus. 4. per illum text. Cod. de test. militari.* & communiter concluditur quod repetitio fiat pro dimidia quasi datum, sit dimidium, pro altera causa, etsi datum sit indiuiduum, ut puta
ser-

seruus equus, aut simile quid sit corpus diuisionem respuens, repetitur pars æstimationis. *l. cum filius. 26. in prin. ff. de legatis. 2. Iason in l. 2. num. 8. ff. h. tit. Treutl. dict. thes. 11. lit. F. circa fin.*

61. Accidit nonnunquam vt vtriusque turpitudine adfit & cessare repetitionem statuitur, *l. vbi autem. 3 ff. h. tit. VVesemb. num. 4. eod. Azo in summa. Cod. eod. text in l. idem. 4. § sed quod 3. & l. si ob turp. 8. ff. hoc tit. l. cum te. Cod. eod. tit. licet ob turpem causam promittens petentem exceptione doli mali, vel in factum summouere possit, si tamen soluerit repetere nequibit, *dict. l. si ob.* quia etsi proxima causa debendi, quæ propter exceptionem inanis esset, sublata videatur, *arg. l. nam is. 6. de dolo malo* per pristinam tamen turpitudinem superest. *dict. l. si ob turpem. 8.* vt si ob stuprum aut lenocinium quid datum fuerit, *l. 2. & l. 4. ff. hoc tit. l. mercadem. Cod. eod. VVesemb. dict. num. 4. ff. h. tit.**

62. Sequitur ergo eo casu quo vtriusque turpitudine adest repetitionem cessare, cum in pari delicto melior sit causa Possessoris. *l. pen. ff. hoc tit. l. 2. Cod. eod. text. in l. si procurator. 9. ff. de doli & metus exceptione. Treut. dict. d. sp. 2. thes. 3. lit. F. Boer. decis. 153. num. 25. & seq. distinguit. Mynsing. cent. 2. obs. 25. uum. 7.*

63. Ex prædictis concluditur amissa per lusum tanquam ex turpi causa data non condici, modo lusus sit saltem consuetudine licitus, vt lusus chartarum, vt *Picket* & *tesserarus*, vulgò *Ticktackcn / Vertehtren / Ein vnd auß*, & sine fraude processerit, quod multò magis obtinebit, si ingenij vel exercitationis causa susceptus fuerit, vt lusus scaccorū, vnd *Dammen spiel* *arg. l. qua actione. 7. §. si quis. ff. ad L. Aquil. l. fin. C. de aleatoribus. Treutl. dict. thes. 3. in fin.*

64. Condictio sine causa est species condictio in genere sumptæ, & concurrat cum condictio indebiti, ob causam, ob turpem causam, & etiam vbi nulla istarum competit, scil. quando aliquid est datum seu promissum sine causa, vel cum aliquid datur ob causam veram, quæ tamen reducitur ad non causam. *l. 1 ff. hoc tit. Iason. in Rub. princ. eod. quæ similiter vt præcedentes condictioes ex promutuo dicitur. Treut. dict. Vol. 1. disp. 22. thes. 1. lit. A. VVesemb. parat n. 2. in fin. ff. hoc tit.*

65. Hæc competit contra illum apud quem res est sine causa, siue ab initio, siue ex post facto. *l. 1. §. 2. & l. fin. ff. hoc tit.* paria enim sunt ab initio aliquid esse tale vel ex post facto ad tale deueniri. *l. nihil. 4. ibidem Bart. Iason. & Dd ff. hoc tit. Treut. dict. thes. 11. lit. A. VVesemb. paratit. num. 2. ff. hoc tit.* & licet cum cæteris concurrat. *l. 2. & l. perpetuo. 6. ff. de condict. ob turp. causam. VVesemb. d. ct. loco. Treutl. dict. thes. 11. lit. B. Oldendorp. class. 7. act. 5. num. 4.* incertis tamen casibus specialem sibi locum eligit. *Cuiac. in parat. hoc tit. Vultei. Iurisprud. Rom. lib. 2. cap. 8. num. 15.* & quatuor potissimum à doctoribus constituuntur casus:

66. Primus casus in condictioe chyrographi competens vel intra biennium

ennium pecunia non nunciata. *l. fin. Cod. hoc tit. vel indebito, l. d. ffoluta. 2. Cod. hoc t.* Alter casus: in condictione fructuum à malæ fidei possessore consumptorum. *l. male. 3. Cod. eod.* Tertius in *d. l. dissoluta.* Quartus in *l. seruus. 30. vers. secundum. ff. de actio. Empt. Treut. dict. thesi 11. in fin.*

67. Igitur promittens vel soluens sine causa potest per hanc condictionem condicere liberationem ab obligatione, vel solutum sine causa repetere, nec istam negatiuam scilicet causam probare tenebitur, per *Gloss. notab. in l. Si Presidi 2. Cod. de don. ante nupt.* Ratio est, quia agens condictione sine causa non supponit aliquid affirmatiuum, *Iason ad dict. Rubric. num. 1.*

68. Specialem quoque locum conditio hæc sibi vindicat, in eo quod conditio indebiti non competat ad promissum sine causa ut fiat liberatio, nec obstat, *l. is qui, 31. ff. de cond. indeb.* quia aut credo me teneri ad promittendum, cum non tenear, & tunc si promitto, possum petere liberationem, etiam per condictionem indebiti, *dict. l. is qui plus.* aut non credebam me teneri ad promittendum, sed bene credebam me teneri ad debitum, ex alia causa, & propter hoc per errorem promisi & tum non repeto liberationem per condictionem indebiti, sed per condictionem sine causa, & *lex qui sine. 3. ff. hoc tit. Iason in dict. Rubrica, n. 3.*

69. Hæc conditio quoque datur Fulloni, sartori & similibus personis, quibus vestimenta lauanda, vel res alia conficienda commissa fuerit, si rebus perditis domino actione locati conuenti pretium soluerit & res in domini potestatem peruenerit, ad pretium repetendum, *l. si fullo. 2. ff. hoc tit.* quia re reuersa, causa propter quam dedit, ad non causam redacta est, *d. l. si fullo. in fin. & ad dict. l. 4.* quia habuit causam à domino, quod secus esset si soluens rei perditæ estimationem, non haberet causam à domino, nam isto casu censeretur soluisse pretium verum, & sic res illas emisse, & competeret soluenti utilis rei vindicatio seu publiciana. *Iason. in d. et. l. si fullo. num. fin. l. si culpa. 63. ff. de rei vindicat.*

70. Ex eodẽ principio repetitur datum in dotem pro matrimonio futuro & prohibito per legem, ratione consanguinitatis vel affinitatis eo de facto nõ secuto. *l. fin. ff. hoc tit. text. in l. vxori maritus, 27. ff. de usufruct. legat. & mulier per pœnitentiam, in verbis neque nupsit, iuuatur, ut non perdat pecuniam in dotem datam, Iason in dict. fin prin.* quia titulus coloratus velat maleficiũ, & turpitudinem, quando illud statutum est in finibus verborum, & ad executionem facti non est processum, *text. in l. si adulterium. 38. S. 1. ff. de adult.*

71. Sic quoque ex eodem reductionis ad non causam principio, repetitur quod per sententiam solutum est. quando scilicet causa propter quam sententia lata fuit, postea ad non causam reducitur, ideo quia sententia non redarguitur de iniquitate, sed de causa cessante, deinde quia ius superuenit post sententiam latam, ex quo insequitur æquitas repetitionem concedens, *Iason in d. l. si fullo, 2. n. 2.*

72. Ceterum eius quod ob turpem aut aliàs impossibilem causam datum fuit, licet causa illa impossibilitatis subiacentis ad non causam deuolui videatur, tum quia talis causa pro non adiecta habetur & in donationem res incidit *l. cum donat. 54. ibid. Bart. & sequitur 1. son C. de transactionib. non facimus repetitioni locum. VVes. parat. n. 3. ff. h. t. nisi conditionaliter datum fuerit l. datum 8. ibid. Bart. C. de condict. ob caus. isto enim casu impossibilis conditio actum suspendit, & quæ res sequi non poterat merito eum annihilat. *l. impossibil. de verb. oblig. prin. inst. de inutili stipulatione, ibid. notata per Mynsing. Sbhneid. & Doct. VVes. d. n. 3.**

73. Huic tandem succedit Coronidis loco condictio furtiua, quæ describitur actio personalis, civilis, stricti iuris, rei tamen persecutoria quæ domino ad id quod furto ablatum est, *Myns. ad §. sic itaque, 14. n. 10. inst. de actionib. VVesemb. paratit. n. 5. ff. eod. quæ ad rem furto sublatam contra furem vel eius heredem VVes. d. n. 5. repetendam datur, & odio furum quo pluribus delineantur actionibus, §. sic itaque 14. ibid. Mynsing. n. 1. inst. de actionibus introducta, Mynsing. d. loc. n. 12. VVes. parat. ff. h. t. introducta. dict. iurib.*

74. Fures enim non modo furti actione penali, sed etiam ad exhibendum rei vindicatione & hac conductione furtiua teneatur. *l. si pro fure 7. ff. hic d. §. sic itaque vers. planè l. ancilla 12. Cod. de furtis Treutl. dict. disputation. 22. thesi 12. lit. A.*

75. Actione furti tenetur & Fur, *l. si pro fure 7. §. furti 1. ff. h. t. l. fin. C. de noxalib. actionibus.* hac vero conductione furtiua, & fur & possessor. *d. l. in re furtiua 8. & l. fin. ff. h. t. ad exhibendum verò vt rei vind. vt possessor tatum d. l. si pro fure & d. si ancilla, 12. C. de furto Gothof. ad d. l. 7. lit. D. & quamuis aliàs nemo rem suam rectè formula in personam actionis seu conductione petat cum detur ea clausula si paret eum dare oportere *Mynsing. ad d. §. sic itaque n. 2. & verb. dare apud Iurisconsultos significat Dominium transferre d. §. sic itaque ibidem Mynsing. n. 14. & dominium semel in me translatum amplius in me transferri nequit text. in l. possideri 3. §. 4. ff. de acquirenda possess. l. & an eodem 14. §. 2. ff. de exceptione rei iudicata. §. si res aliena 6. inst. de legat. l. non vt 159. ff. de regulis iuris Gail. lib. 1. obs. 61 n. 8. idem de Arrestis imp. c. 5. n. 2. tamen in odium furum quo pluribus scil. actionibus teneatur degenerat à propria natura, & assumit naturam actionis realis *Mynsing. ad dict. §. numero 5.***

77. Hæc condictio itaque datur Domino *l. l. sed nec 11. ff. h. t. text. in l. cum qui 14. §. 16. infra ff. de furt. Mynsing. d. n. 20. d. disp. 22. th. 12. lit. B. VVesemb. d. loc. n. 6.* licet ab ipso nihil datum sit quod contra naturam omnium aliarum conductionum est *d. l. 1. & l. & ideo 12. pr. ff. h. t. Mynsing. d. loc. n. 12.* nec res Domino surrepta sit. *d. l. & ideo & l. quoniam 18. ff. h. t. & licet Dominus post furtum factum dominium rei amiserit, conductionem tamen retinet d. l. & ideo 12. l. 1. in fin. ff. de cond. tritic. quia actio personalis semel radicata firma consistit, cum & posteriori Domino furtum factum non sit, nec initio obligatio-*

gationis scilicet tempore furti commissi, quod respiciendum est *l. si procurat. 8. ff. Mandati Dominus fuit VVesemb. d. n. 6.* merito ergo illi hæc conditio utpote non Domino non datur. *l. sed nec 11. ff. h. t. & l. eum qui 14. §. 16. ff. de furtis.* neque sibi dari petere potest is, cui nec dominium nec ius domini consequendi competit.

78. Huic consecutiue deducitur neque creditorem cui res pignori data est, aut commodatariam hæc intentare posse conditionem, licet conditionem incerti habeat *l. & idem 12. §. fin. ff. h. t. VVesemb. parat. dict. n. 6.* quia eius interest rem saluam esse *l. si inter 21. §. fin. & l. seq. ff. de pignor. & hypoth.* quod idem in commodatario depositario & similibus rerum detentatoribus obseruandum statuitur, si illis res subrepta fuerit *d. §. fin.* quibus etiam vel in factum actione, vel officio Iudicis consulitur, sicut & bonæ fidei possessori- bus triticaria *l. sed & ei. 2. ff. de condit. triticaria. Ioan. Fab. d. §. sic itaque n. 5.*

79. Quoniam verò est rei persecutoria, *d. l. si pro fure 7. §. fin. ff. h. t.* non solum Domino competit *l. 1. & 7. §. 1. l. is. ff. h. t.* sed etiam ad hæredes transit *d. l. sed nec 11. ff. eodem, Mynsing. in d. §. sic itaque n. 17.* & ei qui loco Domini est veluti Tutori *l. interdum 56. §. 4. ff. de furtis l. 27. ff. de administr. tutorum.* quod etiã ad Prælatos & Rectores Ecclesiæ producitur ut nomine Ecclesiæ quæ domina est, hac actione experiri congruè possint. *Mynsing. ad d. §. n. 17. Ioan. Fab. ad d. §. sic itaque n. 5.* & contra hæredes furis *d. l. si pro fure 7. §. fin. l. 1. ff. de priuat. delictis VVes. parat. d. n. 5. Iason in l. si duo patroni. §. idem Iulianus n. 4. ff. de iureiurando.* Ex quo infertur quòd quamuis actiones ex delictis non transeant contra hæredes, nisi ex lite contestata, *l. vnic. C. ne ex delict. de fruct. in fin. princ. inst. de perpetuis & tempor. action.* ibidem *Mynsing.* tamen conditio hæc cum sit rei persecutoria, datur ad rem, penes furem aut eius hæredem existentem *d. §. fin.* sicut cæteræ etiam ex delicto descendentes ciuiles actiones. *d. et. princ. iust. de perpet. & temporal. actionib.*

80. Non igitur datur aduersus eum qui ope tantum & consilio furtum promouit *l. proinde 6. ff. h. t.* quamuis furti actione rectè conueniatur. *d. l. 6.* tamen quia rem non contrectauit: conditioe quoque teneri non potest. *d. l. 6. §. interdum 11. inst. de oblig. quæ ex delict. nascuntur.* quia conditio furtiua strictior est quàm furti actio, dictis iuribus, datur tamen aduersus vi bonorum raptorem *l. sine 10. §. 1. ff. b. t.* qui fur est, & quidem improbissimus *princ. inst. de vi bonor. raptor. l. 2 §. cæterum 10. ff. eod.*

81. Hinc dubitatur an conditio detur aduersus hæredes quatenus facti sunt ditiores aut verò quatenus succedant, & posterius ut verius amplectimur. *l. in condit. 9. ff. h. t.* licet *Cuiac. lib. 7. obs. 37.* contrarium probare conetur quod reprobatur Antonius Faber quartò coniectura prima: adeo ut qui ex asse succisit, hic actione in solidum teneatur etiam si res furtiua ad eum non peruenerit *d. l. in cond. et. 9. VVes. parat. n. 7. ff. h. t.* & id in hac conditione specialiter notandum *d. n. 7.* licet alias hæres ex delicto defuncti non teneatur, nisi in quantum ad eum peruenerit, *l. 1. ff. de priuat. del. et. l. si plures 17. §. 1. ff. de dolo malo. VVes. d. n. 7.*

82. De origine nonnulla inter Dd. controuersa statuuntur: alijs eam ex delicto, alijs verò ex varijs causarum figuris prodire statuentibus nos aliorum fundamentis relictis eam ex delicto oriri dicemus *text. in. l. si ambo* 10. §. 2. *Bart. ibidem & Gothof. lit. E. ff. de compensat. l. si mulier* 21. §. penult. *ff. rerum amotarum*, & est communis *VVes. d. n. 7. Iason in. l. si duo patroni* 13. §. idem *Iulianus* 1. n. 4. *ff. de iureiur. dissentit Treut. dict. disp. 22. thest 12. lit. B. vers. de orig.*

83. Et datur hæc condictio ad repetitionem ipsius rei seu corporis *l. in re* 8. *princ. ff. h. t.* etiamsi defierit in rebus humanis esse *d. l. in re princ. & l. fin. eod. Treutl. d. th. lit. E.* aut quia omnino perijt dict. iuribus, aut si in aliam speciem transmutata fuerit. *l. ex argento* 13. *ff. eodem*, quia res facta ex materia furtiua furtiua manet *VVes. paratit. n. 8. ff. eodem*, *Ioannes Faber ad d. §. sic itaque* n. 6. cum omni causa & interesse 3. *ff. eodem. Mynsing. ad d. §. n. 19. Ioannes Faber ibidem* n. 6. vel id quod ex perdita aut corrupta superest *d. l. si seruus* 4. *ff. eod.* Sin verò omninò defierit in rebus humanis esse durat condictio æstimationis, ita vt ipsa loco rei deperdita condici possit *d. l. in re l. final. ff. eodem Ioan. Faber & Mynsing. d. locis.*

84. Hæc in tantum præcedere dicimus etiamsi res apud Furem perierit *l. finali ibid. Bart. C. h. t. d. l. si condicatur* 3. *ff. eodem*, quia periculum rei furtiuæ ad furem spectat *d. l. 3. d. l. fin. ibidem Bart.* si tamen furem furtiuam Domino obtulerit, & per Dominum steterit quo minus restitutio fiat, condictio nulla erit, nec corporis nec æstimationis, *d. l. furtiua* 8. Idem erit si Fur per donationem aut aliàs delegationem moram purgauerit *l. parui* 17. *ff. h. t. lex fin. C. eod.* licet aliàs semper Fur moram facere intelligatur *d. l. in re* 8. §. 1. *in fin. ff. hic VVesemb. d. n. 8.*

85. Controuertitur tamen inter Dd. cuius temporis æstimatio fieri debeat vtrum furti ipsius an verò conditionis & statuitur illius temporis quo res plurimum valuerit. *d. l. in re furtiua* 8. §. 1. *ff. h. t. Mynsin. ad d. §. n. 22.* nam si restituta ante aut non ablata fuisset, Dominus id habuisset *l. si sterilis* 21. §. *cū per vendit.* 3. *ff. de actionibus empti*, nec deteriores rem dando fur liberaliter cum semper moram faciat *d. l. in re* 8. *VVes. d. n. 8.*

86. Tandem non duntaxat venit in hanc actionem quanti plurimum fuerit, sed omne id quod interest agentis rem subreptam non fuisse, vt fructus tam percepti quàm percipiendi *Myns. d. loc. n. 22. d. l. si sterilis. §. cum per venditorem* partus, ac quicquid denique ex re questus haberi potuit *d. l. 3. & d. l. in re* 8. §. *fin. VVes. praat. in fin. ff. hic.*

87. Finitur Coronidis loco libellus huius actionis primo in probatione dominij vt scil. actor probet se tempore furti commissi fuisse dominum, & rem sibi subreptam esse *Mynsing. d. l. n. 24.* sed probatio dominij difficillima est. *Dd. in §. communi Instit. de Actionib.* securius igitur agere erit triticiaria, ad possessionem consequendam. *Ioan. Fab. citato loc. in fin.*

*In conatum qua virtute qua scientia Nobilis ac
præstantissimi Domini*

**IOANNIS NICOLAI Borst/
AQVENSIS SS. LL. STUDIOSI.**

Optima quisquis amas illustris dogmata iuris
Perspicere, atque animo firma tenere tuo.
Vorstius in speculo fert condictitia iura
Subijciens oculis perspicienda tuis.

Offert Cæsarei repetentia dogmata iuris
Quid sit, quis retinet qua ratione petat,
Abdita perlustrans sacri penetralia iuris
Ingentis monstrat sedulitatis opus.
Sic pede, quo fausto cœpisti perge homotechnos
Cæsareos adiens Pontificumque choros
Nec dubita dabitur tibi iusta aliquando corona
Posteritasque tuum grata revoluet opus
Sic tuus iste precor patriæ labor utilis atque
Nomen ad æthereum transuolet usque polum.


IDEM AD M O M V M.

Livida stringentis fregisti spicula morfi
Zoilus ut nequeat ladere scripta tua.

L. M. Q. offert

Melchior Kessel Colon.
I. V. Candidat.

F I N I S.







X 2874408

94 A 7386

VD 17






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



VRIDICA.

ONIBVS
VTVO,
practicabilis.

Faente.

VS

is Viris, ac DD.

o, I. V. Doctore, &
SS. LL. Licentiato,
& Fisco.

*emia Iuridica Facultatis
ini submittit*

st / Aquisgranensis.
3. Iulij.

PPINÆ,
rope Augustinianos.

